

sim habuere prosperrima, ex quo Balduinus I, Orientis Imperator Venetis ob missas ad expugnandam Constantinopolim suppeditas Aegæi & Ionii Maris Insulas omnes cum Creta iisdem dono transcriptis.

4. *Qui verò summa Respublica hujus fortuna caput labascere?*

1. Turcæ Aegæi Maris Insulas & Cretam, ac nupero bello Peloponnesum quoque eripuere. 2. Batavorum Respublica ob commodiorem circum Africæ litora navigationem amplissimum illum commerciorum Alveum ad se derivarunt, obturata ingenti illa opum affluentium scaturigine.

§. 2.

*Respublica Genuensis.*

1. *Quandonam Genua Respublica coaluit?*

Sub annum 900. cum antea ab anno 660. Longobardis primùm, dein Regibus Carolinis vefligales fuissent Genuenses. A. 935. Urbs à Saracenis vastata est, quos vicissim navali prælio devicerunt Genuenses, & Pisentiorum, qui & ipsi id temporis Rempublicam præsentabant armis adjuti, ex Corsica & Sardinia exturbârunt.

2. *Quod bellum Genuenses inter ac Venetos ab A. 1250. ad annum fermè 1380. exarsit?*

Emulatio è nimia utrinque potentia, commerciisque maritimis exorta, gravi Rempublicam utramque bello implicuit, quo Genuenics aliquamdiu superiores, tandem Venetis succubuere. Id dolendum erat maximè, ea partium dissensione armorum Christianorum progressum haud parùm fuisse sufflamioatum.

3. *Cur Genua ab A. 1396. usque ad 1528. Respublica esse desit?*

Ipsestina discordiæ eò adegere Genuenses, ut illo temporis